5

DECANI FACVLTATIS MEDICÆ

GEORGII WOLFF-GANGI WEDELII,

MEDIC. DOCTORIS, COMITIS PALATINI CÆSAREI, THEORETICES PROFESSORIS ORDINARII, CONSILIARII ET ARCHIATRI DVCALIS SAXONICI,

PROPEMTICVM INAVGVRALE

De

PARALYSIPARTICVLARI

JENÆ,

LITTERIS KREBSIANIS.

NOn minimus diagnoſeos ſeu cognitionis morborum apud medicos fons eſt ἀναλογισμȣ̃, *ſimilitudinis*, quando a ſimile ad ſimile proceditur, & argumentum ducitur; ut, ubi eadem phænomena offendam, easdem circumſtantias eſſentiales, ibi eundem morbum eſſe arguam. Et uti contraria juxta ſe poſita magis eluceſcunt; ita non minus ut ovum ovo ſimilis morbus collacteus alteri dignoſcitur, etiam in diſpari alias fortuna & conditione hominum, ne de ſexu, ætate & aliis dicamus.

Occurrit talis ſimilitudo etiam in morbis ſacro Codice conſignatis, tam miraculoſe illatis, quam curatis, qui ſi conjunctim ſpectentur, rectius intelliguntur, & penitius. Cumque pallida mors, adeoq; & ejus paranymphi morbi, æquo pulſent pede pauperum tabernas, regumq; turres, licebit nobis inpræſentiarum regem & plebejum hominem ſimul in proſcenium vocare, gemino caſu unum eundemque morbum exhibentes.

Prior eſt Rex Iſraelitarum a diviſione regni primus, Jeroboam, qui cum inamœna proclamantem contra altare, divinitus juſſum, prophetam indignabundus extenta manu dextra apprehendere juſſiſſet, divinam δίκην confeſtim experiebatur. Dictum factum enim exaruit manus ejus, quam extenderat contra eum: nec valuit retrahere eam ad ſe. Agnoſcens vero errorem, & divinam manum in arida ſua manu, quem lædere voluerat precatus, oraret pro ſe, ut reſtitueretur ſua ſibi manus, expertus vicisſim eſt opem præſentaneam, & precibus fuſis reverſa eſt manus regis ad eum, & facta eſt ſicut prius fuerat. *1 Reg. XIII. v. 4 ſeqq.*

Alter pauperculus in hiſtoria Evangelica *Matth. XII. 10. Marc. III. 1. Luc. VI. 6.*, in Synagoga Judaica captioſe & ſubdole exhibitus Salvatori ſuaviſſimo, manum dextram habebat aridam, qui ſurgere & prodire in medium juſſus, hinc extendere manum, mox extendit, & reſtituta eſt manus ejus ſanitati, ſicut altera.

Videri poſſet primo intuitu diſſimilis, non idem affectus, non una de cauſa. Rex retrahere non poterat manum, homo ille non extendere

tendere. Imo cauſari quis poſſet, regiam manum extentam manſiſſe talem, ut exporrecta maneret, nec valeret retrahi ad ſe, rigida, & inſtar ſtatuæ mercurialis ſe habens, durans in illo poſitu, ut laudanda eſſet convulſio potius, τάσις involuntaria, contractio dolorifica, conſtans & permanens, adeoque affectus tantum abeſt ut ſimilis dicendus fuerit, ut potius plane contrarius.

Aſt omnino utrobique unus idemque aſſignandus eſt morbus, modo penitius textum & pathognomica ſigna inibi conſignata attendamus. Adeſt utrobique aridura manus, adeſt ἀκινησία, ſeu movendi impotentia, eſſentialis & propria paralyſi; ipſa vero ξηρότης, ſeu aridura hæc, exareſcentia momentanea ſatis diſcriminat & ſpecialius ἀδυναμίαν illam definit, ut non ſtatuenda ſit aliqua convulſio proprie dicta, laudato modo habens.

Majus ſane eſt miraculum, extentam cum robore omni manum deſubito omnem motum amittere, ſublabi, enervari, quam adſcito præternaturali robore extentam manere. Gravius enim eſt vitium in abolitione conſiſtens morboſum, qualis eſt paralytica abolitio motus, quam in depravatione, qualis eſt convulſio. Et ejusdem commatis eſt manum flaccidam & reſolutam contrahere, ad ſe reducere, prius extentam, aque corpore abductam, & extendere, hactenus omni τάσει carentem. Vtrobique requiritur elater debitus & tonus, omni motus animalis differentiæ communis, qui his ægris plane aberat.

Erat itaque hæc PARALYSIS, eaque PARTICVLARIS, ſoli manui dextræ propria, in rege miraculoſe inducta & curata, in altero ſaltim curata, non minori, ſed longe eminentiori charactere. Quod enim propheta faciebat, nutu ſuperiori, non proprio præſtare poterat, quod prophetarum Dominus, θεάνθρωπος Salvator, αὐτοκρατορικῶς, unde illum orare oportebat & ab hoc impetrare, huic omnia ad imperii nutum præſto ſunt.

Si terminis Hippocraticis delineandus fuerit morbus, ἐς χεῖρας μόνον παραπληγικοὶ erant, *l.6.epid.ſ.7.t.16.* ἀκρασία παραπληγικὰ, *intemperies paralytica,* παρελύθη παραπληγικῶς, ἄλλο δ' οὐδὲν ἠλλοιώθη, οὔτε πρόσωπον, οὔτε γνώμην; *manus dextra apoplecticum in modum reſolvebatur, quoad alia vero non alterabatur corpus, neque facie, neque mente; l.2.epid. ſ.2.t.22.* ἡ χεὶρ λεπτὴ καὶ ἀκρατὴς, *manus tenuis ac impotens* erat, *l.2.prædict. c.16.t.28.*

Id vero eleganter & appoſite Spiritus ſanctus exprimit voce areſactionis; καὶ ἰδοὺ ἐξηράνθη ἡ χεὶρ αὐτοῦ, *& ecce exaruit manus ejus*, quod de Rege prædicatur; τὴν χεῖρα ξηρὰν, ἐξηραμμένην juxta *Marcum*, *manum aridam, exareſactam habebat alter.* Non ſolum enim in paralyticis, ut in defunctis, partibus viſitur τὸ ζωτικὸν ἄνθος, *flos vividus* perditus, elater ille æquabilis & vividus exutus, ſpirituum deciduorum & fatiſcentium argumento, omnia flaccida ſunt & flexilia, nullo modo extendi, retrahi, teneri apta, omnis tonus abeſt; ſed & aridura conjungitur.

Debetur hæc non tam ſucco nervoſo deficienti, quam poris collapſis, deficienti motui, unde nec ſanguis in circulo ſuo didi, nec ſpiritus ſerenantes ac firmantes dilatare fibras amplius, nec ἄκρατα καὶ ἀκίνητα membra ſibi applicare nutritium ſuccum queunt, unde frequentius ac ordinarie fit aridura, cum frigore conjuncta, pendula obſervatur fere manus, & lacertorum tori penitus remiſſi obſervantur. Hinc χεὶρ ξηρὰ, ἐξηραμμένη revera idem eſt ac *paralytica*, denominatione facta ab eſſentialiter conſequente hoc aridurae actu.

Miraculoſum vero erat magis priori caſu, quod extemporanea hac aridura ſignaretur paralyſis, ut manu palpare poſſet ſuperiorem vim, deſubito imminuta parte, contra morem ordinarium morbi. Vtut enim videas aliquando paralytica membra hæc illa intumefacta quoque, in toroſis inprimis corporibus, illud tamen fit fere a *στάσει* humorum vitalium deſtitutorum vitali robore, & circulo ſanguinis & ſeri læſo, congeſtione facta.

Hoc ipſo vocabulo aptiſſime inſinuatur affectus modus & gradus. Ille quidem, quod fuerit jam in facto, non in fieri, quæ diſtinctio ab ipſo hiſtorico ſacro, *Marco*, innuitur, *c. IX. v. 18.* ubi de lunatico ſcribit, retuliſſe parentem ejus: καὶ ξηραίνεται, *& areſcit*; adeoque non erat paralyticus ſimul, ſed ariduram contrahebat. Hic vero, quia medullitus quaſi areſactam manum notat, non aliter ac τὴν συκῆν ἐξηραμμένην ἐκ ῥιζῶν, *ficum areſactam radicitenus* vocat *c. XI. v. 20.* quo exemplo mechanico utrobique manum aridam, exuccam ſiccatamque & attenuatam concipere licet optime.

Manus intelligitur non ſtrictius ſumpta, quam χεῖρα ἄκραν, *manum extremam* vocant, ſed tota, cum humero & brachio, latius accepta, in quam vis omnis & robur corporis conceſſit quaſi, ibidemque viſendum eſt. Manus, ὄργανον ἀντιληπτικὸν, *inſtrumentum apprehenſio-*

henſionis, uti audit *Galeno, l.3. de Uſ. Part. c.4.* & tactus, ut per quod Rex peccaverat, idem & puniretur. Manus adminiſtri laborum, has enim admovemus per operæ.

Sane manus ſunt pars corporis ad actiones quasvis peragendas princeps & præcipua, unde ſcite *Philoſophus l. 4. de part. anim. c. 10.* ἡ δὲ χεὶρ, *inquit*, ἔοικεν εἶναι οὐχ ἓν ὄργανον, ἀλλὰ πολλά. ἔστι γὰρ ὡσπερεὶ ὄργανον πρὸ ὀργάνων. *Manus autem videtur non unum inſtrumentum, ſed multa. Eſt enim, ut ita loquar, inſtrumentum ante inſtrumenta*; unde & Anaxagoram refert hominem prudentiſſimum omnium animalium ſtatuiſſe, quoniam unus omnium manus obtinet.

Quomodo vero in momento arefacta viſi manus, & talis in integrum deſubito reſtitui potuerit, ſi id ſciſcitari fas eſt, commode ex phyſiologia & mechanica motus patere poteſt & illuſtrari. Liceat enim, cauſis aliis omnibus neglectis, ſtatuere, impulſum ætheris vitalis directum animare membra in motum, ſpiritum vocant medici uno verbo, per nervos, muſculos, tendines, articulos facta illa ὁρμῇ, citra diſploſionem aliam, quam voluntatis imperio citatam, citra efferveſcentiam aliquam, citra tractionem. Non enim trahuntur membra, ſed impelluntur, extrorſum, retrorſum, unde variæ motus ſpecies.

Quando itaque vel ſimul ac ſemel, divina quidem virtute potiſſimum, revocantur ſpiritus e ſuis poris, mox ſubſident & collabuntur omnia, fluida item ſubducuntur reliqua, nec niſi levius reſtant, ut vitæ ſuperſit aliqua micula, cum frigore quidem, flacciditate, aridura, aliisque dictis, ut non niſi altera manu prehendi, ſuſtolli, moveri, inſtar ponderis inertis vel ligni, queat. Manent ibi lora, ſed ſublata vis omnis, robur omne, motus omnis.

Tunc demum bona noſtra cognoſcimus etiam illo caſu, quando quæ habuimus, amiſimus. Una enim organica parte deſtructa, vel ceſſante, uti manus pars extima principalis eſt, inprimis dextra, redundat malum in totam reliquam machinam. Tollitur ſymblioſmus mutuus, & cum quælibet habeat ſuam πρᾶξιν, plurimum deperditur corpori, ubi dextræ manus officium deſtruitur. Tacemus ætheris extranei conſenſum mirabilem, circa mali illationem ordinariam, non minus ac curationem, ut & recidivam: frigore enim appellente facile repetit paralyſis ſemel curata.

Viciſſim

Viciſſim nutu divino irruente velut preſſione quadam vitali illo æthere in priſtinos tubulos, mox inflari fibræ nerveæ, affluere ſanguinis nectar, lymphæ ambroſia nutribilis, turgidæ exporrigi carnes, vigorari omnia, & parere voluntatis imperio, tono reddito, & ſanitate integerrima. Idque in utroque exemplo ab altiori principio factum eſt divinitus, per naturam alias vel plane impoſſibile, vel ſi reparabile ſit malum, favente numine, non niſi pluribus menſibus ſuccedens, alio charactere inducto ſanguini, & fixatis prius ſpiritibus reparatis tardiori mora, nervinis, cinnabarinis, volatilibus, balſamicis & ſimilibus, lege artis adhibitis, id quod aliquoties, & bis ter aliquando diverſo tempore in eodem ſubjecto, per Dei gratiam, præſtitimus, vel B. *Muſæi* noſtri exemplo.

Obſignabimus hæc eleganti allegoria & curatione ſpirituali, qua ipſe Spiritus ſanctus utitur, deſumpta a paralyticis hiſce partibus, uti *Hebr. XII. 12.* præcipitur: *παρειμένας χεῖρας, καὶ τὰ παραλελυμένα γόνατα ἀνορθώσατε, reſolutas manus & paralytica genua erigite;* q. d. fatiſcentia membra tum veſtra, tum aliorum, nec firmis greſſibus in via pietatis incedentia, ſed dilapſa in errores, in avia, reducite, monitis fidelibus, exhortationibus debitis, dictis divinis audientes, adeoque mediis Chriſtianæ fidei convenientibus; unde porro addit, & *greſſus rectos facite pedibus veſtris, ut non claudicans quis erret, magis autem ſanetur.* Hæc commentari voluimus & præfari, occaſione Diſputationis Inauguralis de VULNERIBUS SCLOPETORUM Clariſſimi & digniſſimi Medicinæ Doctorandi

LUDOVICI CHRISTOPHORI GUCKELINI.

Natus is eſt Anno MDCLXXIII. D. XXIV. Aprilis, in civitate Ottweiler, diſtrictus Auſtraſiæ, vulgò Weſterich/ metropoli, & Illuſtriſſimi Comitis de Naſſau - Ottweiler ſede, prope fines Lotharingiæ ſita, Patre plurimum reverendo, JOHANNE DANIELE GUCKELINO, Inſpectore & Paſtore primario t. t. ibidem meritiſſimo, b. m. Matre, ANNA CATHARINA, Viri Nobiliſſimi & Ampliſſimi JOANNIS JACOBI WEINBRENNERI, olim Regiæ Majeſtatis Galliarum pariter & Sueciæ per plures annos Magiſtri equitum b. m. filia natu maxima.

Horum parentum prima fuit cura, ut a teneris ſtatim animus flexilis vera pietate & bonis artibus probe imbueretur. Hinc translatus Haunshemium, Perilluſtris & Generoſi Domini, Liberi Baronis a Rackniz, ſedem, in Sueviam, commiſſus privatæ informationi

oni per aliquot annos tam feliciter, ut incluto Vlmenſium Gymnaſio traditus ſuperioris Claſſis cœtui adjungi poſſet. Nactus eſt ibidem Præceptores excellenter doctos, M. GVILIELMVM DIEZIVM, Gymnaſii Rectorem multorum annorum meritiſſimum, Lingu. Græc. & Eloquent. P. P. νῦν ἐν ἁγίοις, & Polyhiſtorem celebrem M. EBERHARDVM RVDOLPHVM ROTHIVM, jam Rectorem digniſſimum, Hiſtor. & Log. P. P. quos hodogétas, tanquam fidos Achates, tum publice, tum privatim per triennium non ſine emolumento preſſo pede ſecutus fuit.

Ambitu Claſſico feliciter abſoluto, Anno M DC XC. menſe Aprilis Academiam Eberhardinam, Tubingam, petiit, ibique in numerum civium Academicorum relatus fuit. Inde vero paulo poſt redux ex conſilio parentis Vlmam repetens nomen ſuum apud venerandum Gymnaſii Directorem more conſueto profeſſus, alacriter ſtudiis Philoſophicis operam navare, lectiones tum publicas tum privatas nobiliſſimorum & accuratiſſimorum Profeſſorum frequentare cœpit.

In Metaphyſicis audivit M. CAROLVM LVDOVICVM STROMAIER, V. D. miniſtrum & Metaphyſ. P. P., in linguæ Sanctæ fundamentis M. MICHAELEM BECKIVM, V. D. miniſtrum & Ling. S. P. P. in Phyſica ſaniori & Aſtronomicis M. MATTHÆVM HONOLD, jam ad S. S. Trinit. Diaconum, tunc Phyſices, jam Mathemat. P. P. in Logicis, Oratoria, aliisque reliquos, M. DANIELEM RINGMACHER, Ethic. & Polit. P. P. & inprimis, omni ſuo elogio majorem, MARTINVM WOLFARTVM tum Poeſ. jam Græc. Ling. P. P. Hoſpitem ſuum per quinquennium amantiſſimum.

Cum autem interea Parens, DEO ita ferente, ſedem denuo mutaret, & ab Illuſtriſſimo & Celſisſimo Comite, Domino PHILIPPO REINHARDO, Comite Hanöico &c. &c. Inſpector diſtrictus Bobenhuſani ejusq; Paſtor Primarius & Conſiſtorii Hanovienſis Aſſeſſor vocatus eſſet, maturato probe ingenio & Academicis jam Lectionibus egregie tincto, Vlma abiit, & ſalutatis Parentibus, ſine mora, æſtate Anni M DC XCII. ad hanc Salanam ſe conferens, ulterius Philoſophiæ ſtudio & Arti Machaoniæ ſe totum mancipavit, in utroque ductum virorum excellentiſſimorum ſecutus.

Hinc delicias phyſicas à GEORGIO ALBERTO HAMBERGERO, Mathemat,

themat. P. P. hauſit, Aſtrologiam ſaniorem a JOHANNE ANDREA SCHMIDIO, S.S. Theol. Licent. ejusque in Academia Helmſtadienſi deſignato Profeſſore.

In Medica vero arte ſectatus eſt celeberrimos Profeſſores, D. RUDOLFUM WILHELMUM CRAUSIUM, Facultatis Seniorem venerandum, D. GUNTHERUM CHRISTOPHORUM SCHELHAMMERUM, nunc in Academia Cimbrica Medicinæ Profeſſorem primarium, & Sereniſſimi Ducis Schlesvvicenſis Archiatrum, a quo in botanicis, Anatomicis, Oſteologicis, muſculorum hiſtoria, curioſa rerum naturalium ſupellectili, chirurgicis, publice & privatim fideliter informatus fuit. Aliquot item cadavera humana cultro anatomico publico in theatro proſecanti adſtitit, nec absque fructu demonſtrationes ejus percepit. Vſus eſt quoq; D. IACOBI VVOLFFII, p. m. opera in re botanica & brutorum anatome.

Speciatim, cum & noſtrum interponere teſtimonium teneamur, ſedulus perpetuusque auditor fuit ſcholarum noſtrarum, tam publice in materiæ medicæ, Phyſiologiæ, & Pathologiæ explicatione occupatarum, quam privatim in omni genere exercitiorum ad theoriam & praxin clinicam facientium. In omnibus his felices profectus fecit, quos non ſemel in publicis diſquiſitionibus viſendas dedit, modeſtia inſuper & bonis moribus eruditionem inſignem ornavit, & nemini non ſe commendavit.

Cum itaque juſſu Patronorum, ab immaturo parentis obitu, conſtituiſſet ſecum capeſſere honores in Medicina ſummos, idque deſiderium ſuum Facultati noſtræ modeſte expoſuiſſet, inſtitutis examinibus ἄξιον ſe probavit, unde & aditus ad cathedram publicam factus fuit, habenda ad D. IIX. Julii ſub præſidio CRAUSIANO Diſputatione ſolenni laudata.

Ad hanc panegyrin Magnificum Rectorem, Magnificum Rectorem Deſignatum, Proceres Academiæ, & Hoſpites omnium ordinum lectiſſimos, Fautores almæ artis, ut dignentur eandem ampliſſima & benevola ſua præſentia, peramanter & officioſe invito. P. P.

Sub Sigillo Facultatis. Jenæ M DC XCV. D. VII. Jul.

(L. S.)